
W. Lysēr
(J. J. Viburgius.)
Locus de Antichristo,
summarie ex 2. Thess. 11. con-
cinnatus.

Witteb. 1643.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

1,-313-4

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01561 4

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

Locus
De
ANTICHRISTO,

Summariè ex 2. Theſs. II. concinnatus,
Methodicè diſpoſitus,
Notis explicatus,
Publicè ad diſputandum propoſitus,

PRÆSIDE
WILHELMO LYSERO D. & P.P.

Reſpondente
JOHANNE JANI VIBURGIO DANO,
Stipend. Winſtrupio-Reſeniani Alumno,
Anno MD CXLIII.

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

1543

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

VIRIS

Admodum Reverendo, Ampliſsimis, Experientiſsimo, Clariſsimis, & Excellentiſsimis,

Dn. LAURENTIO MARTINI SCHAVENIO Doctori Theologo, & in Regia Hafnienſi Academia Profeſſori longè celebratiſsimo,

Dn. OLAO WORMIO MEDICINÆ DOCTORI Feliciſsimo, ejusdemque in illuſtri Danorum Academia, qvæ Hafniæ eſt, Profeſſori Famigeratiſsimo,

Dn. M. THOMÆ BANGIO, SANCTÆ LINGVÆ in eadem inclyta Hafnienſi Academia Profeſſori Publico, & DECANO Facultatis Philoſophicæ Digniſsimo,

Dn. M. JOHANNI SVANINGIO, LINGVARUM Orientalium ibidem Profeſſori laudatiſsimo,

Dn. M. ERICO TORMIO, MATHESEOS, ETIAM in Hafnienſi Academia, Profeſſori Eximio,

Dn. M. NICOLAO JOANNIS ARHUSIO, RECTORI Scholæ Viburgenſis diu meritiſsimo,

Dominis, Præceptoribus, Patronis, ac Promotoribus ſuis Magnis Diſputationem hanc Theologicam in debitæ gratitudinis & obſervantiæ teſſeram humillimè offert

JOH. JANI Viburgius
Stipend. Winſtrupio-Reſeniani Alumnus
R.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

I. N. J.

THESIS.

Antichriſtus magnus Catholicus Apoſtata & perſecutor Pontifex Romanus eſt.

PROBATIO.

2. Theſſ. II. 3.

Μή τις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ, κατὰ μηδένα τρόπον (ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ Χριστοῦ) ὅτι ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας ὁ υἱὸς τῆς ἀπολείας.

v. 4. ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα, ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ ὡς θεὸν καθίσαι, ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ θεός.

v. 5. οὐ μνημονεύετε, ὅτι ἔτι ὢν πρὸς ὑμᾶς, ταῦτα ἔλεγον ὑμῖν.

v. 6. καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε, εἰς τὸ ἀποκαλυφθῆναι αὐτὸν ἐν τῷ ἑαυτοῦ καιρῷ.

v. 7. τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, μόνον ὁ κατέχων ἄρτι, ἕως ἐκ μέσου γένηται.

v. 8. καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος, ὃν ὁ κύριος ἀναλώσει τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ.

v. 9. οὗ ἐστὶν ἡ παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους &c.

DISPOSITIO.

1. *Antichriſti notanda ὀνοματολογία.*
2. τὸ ὅτι.
3. *Cauſa Efficiens interna hominum iniqvitas, externa Diaboli furor ſummus: qvoad pœnam, judiciaria DEI voluntas.*
4. *Materia in qva, ordo hominum in Eccleſia in capite ſucceßivo certam hæreſin continuantium.*
5. *Forma interna, Univerſalis ἀποστασία & ἀνομία Chriſto oppoſita, cum ſuperbia ſupra DEUM & Imperatorem Rom. ſe efferente, religionis titulo in Eccleſia erumpens.*
6. *Forma externa ex circumſtantiis loci, temporis, actionibus & paßionibus petenda.*
7. *Finis, ingratorum per deceptionem gravißimam punitio, bonorum verò probatio.*
8. *Applicatio ad Pontificem Romanum cui uni & ſoli omnia iſta conveniunt.*

Vide de hoc loco

Ex Evangelicis: Articulum Schmalcald. de Poteſtate & Primatu Papæ. Augapfel p. 436. & ſeqq. Hauptvertheidigung cap. 86. & ſeqq. Joh. Huſſum de Antichriſto, Lutherum

VERSIO B. LUTHERI.

v.3. LAſſet euch niemand verführen
in keinerley weiſe (daß der tag
Chriſti verhanden ſey) Denn er kompt
nicht es ſey denn daß zuvor der abfall
komme / vnd offenbahret werde der
Menſch der ſünden vnd Kind des ver-
derbens.
v.4. Der da iſt ein wiederwertiger vnd
ſich überhebet über alles das Gott oder
Gottesdienſt heiſſet / alſo daß er ſich ſe-
tzet in den Tempel Gottes als ein Gott/
vnd giebt für er ſey Gott.
v.5. Gedencket jhr nicht dran/ daß ich
euch ſolches ſagte/ da ich noch bey euch
war.
v.6. Vnd was es noch auffhelt wiſſet
jhr/ daß er offenbahret werde zu ſeiner
zeit.
v.7. Denn es reget ſich ſchon bereit die
boßheit heimlich / ohne daß der es jetzt
auffhelt muß hinweg gethan werden.
v.8. Vnd alsdenn wird der Boßhaff-
tige offenbahr werden / welchen der
HErr vmbbringen wird mit den Geiſt
ſeines mundes / vnd wird ſein ein ende
machen durch die erſcheinung ſeiner
zukunfft.
v.9. Des welches zukunfft geſchicht
nach der wirckung des Satans mit al-
lerley Lügenhafftigen kräfften vnd Zei-
chen vnd Wundern &c.

Verſio Vulgata.

v.3. NE qvis vos ſeducat ullo mo-
do (qvaſi inſtet dies Domi-
ni (qvoniam niſi venerit diſceſsio
primum,

rum paſsim, præſertim in lib. wie-
der das Bapſthumb zu Rom vom
Teuffel geſtifftet. T. jen 8. Wit. 7.
Vncatholiſch Bapſthumb. Heil-
brunneri, Hunnij Sen. Locum de
Eccleſia, Baldvini Diatrib. de
Antichriſto, Gerhardi Confeſs.
Cathol. l. 2. Art. 3. c. 6. Matthiam
Hoën ab Hoenegk in Apocal.
Caſpari Brochmanni l. 3. de Rom.
Pontif. & Tom. 2. Locorum. Dö-
lingium, Höpfnerum, Georgium
Nigrinum, Philippum Nicolai
& alios.

Ex Calvinianis: Danæum de
Antichriſto, Witakerum ad de-
monſtr. Sandæi & de Papa Rom.
q. 5. Junium cont. Bellar 3. de
Pontifice Povelum de Antichri-
ſto & ejus Eccleſia, Tilenum in
Anal. Exegetica Art. 31. Confeſs.
Gallicæ, Morn. c 9. de Eccleſia,
Georgium Pacardum in deſcri-
ptione Antichriſti, Nicolaum
Vegnierum in Theatro Anti-
Chriſti. Rivetum Tract. 2. q. 5.
Summæ controverſiarum, Cha-
mierum T. 2. l. 16. qvi prædi-
ctos citat. Adde Præfat. moni-
toriam Jacobi Regis Angliæ:
Georgij Dounami Diatrib. de
Antichriſto. Graſerum in c. 12.
Dan. & in Plaga Regia: Et qvi
contra Grotium ſcripſere Hip-
polytum Frontonem Carocot-
tam, qvi Molinæus putatur, Coc-
ceium,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.

*v.*4. Qvi adverſatur & extollitur ſuper omne id quod dicitur DEUS, aut qvod colitur, ita ut in templo DEI ſedeat, oſtendens ſe tanqvam ſit DEUS &c.

v. 5. Num retinetis quod cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis.

v 6. Et nunc qvid detineat ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore.

v. 7. (Nam myſterium jam operatur iniqvitatis, niſi ut qvi tenet nunc detineat donec de medio fiat.)

v. 8. Et tunc revelabitur ille iniqvus, qvem Dominus Jeſus interficiet Spiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui eum.

v. 9. Cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute & ſignis & prodigiis mendacibus &c.

Vide de hoc dicto.

Omnes in hanc Epiſtolam Commentarios & de AntiChriſto Scriptores, cumprimis Mareſii Antichriſtum Revelatum.

ceium, Mareſium in Diſſertat. de Antichriſto, Item in AntiChriſto revelato.

Ex Pontificiis: Bellarminum, Sanderum, Stapletonum, Scioppium, Cotonum, Sylveſtrum Vallenſem, Andream Eudæmono Johannem, Jeremiam Ferrarium, Gregorium de Valentia, Joſephum à Coſta, Florimundum, Raimundum, Johannem Arboreum, Bozium, Fevardentium, Lorichium, Salmeronem (qvos Chamier citat) Becanum in Manuali l. 3. Leonhardi Leſsij Demonſtrat. Thomam Malvendam de AntiChriſto, JCtos Dillingenſes Forerum &c.

Ex Photinianis: Volkeliũ l.3. de Vera Rel. c 40. Item in lib Præmonitionũ Chriſti de abolẽdo Chriſto per Antichr. *Singularis Hugo Grotius eſt.*

NOTÆ.

Ad I.

In ὀνοματολογίᾳ occurrunt 1. *Origo* quæ ſacra eſt: eſt enim vox ἔγγραφος & qvinqvies in Scripturis invenitur 1. *Job. II.* 18. bis. 22. *IV.* 3. 2. *Job.* 7.

2. *Derivatio*, eſt compoſita ex ſanctiſsimo Chriſti nomine, & particula ἀντὶ (ſicut ψευδόχριστος *Matth. XXIV*, 24. *Marc. XIII.* 22.) quæ in compoſitione varia habet ſignificata, ex qvibus tria præcipuè hic locum habent, denotat namq; (α) *oppoſitionem*, hinc *v.* 4. vocatur ἀντικείμενος, qvod paſsim *adverſarium* notat *Luc. XIII.* 17.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

XXI.17. 1.Tim.V.14. qvæ ſignificatio Antichriſto à nullo denega-
tur, communis verò illi eſt cum omnibus Chriſti hoſtibus (β)
æqvalitatem, ſic *ἀντιμισθία compenſatio Rom.I,27.* dicitur; atqve Anti-
chriſto hîc tribuitur, qvod DEI æmulus ſit *ſeſe efferens ſuper DEUM*
v.4. (γ) *Vicem* prout *ἀντίλυτρον 1.Tim.II.6.* pretium vice alterius
ſolutum notat; & hic Antichriſtum DEI vicarium, juxta notam
inſcriptionem *PaVLo QVInto VICe Deo*, qvi *ſe oſtendit ὡς θεὸν v 4.*
& hæ poſteriores ſignificationes Antichriſto magis propriæ ſunt:
nec ultima prioribus oppoſita, qvi enim ore ſe ſubjectum vica-
rium profitetur, re æmulus adverſarius eſt.

3. *Significatio:* trina illa in hac voce occurrit, accipitur enim
illa vel *generaliter*, & ſunt omnes hæretici ſeductores, CHRI-
STUM negantes, & Antichriſto magno viam ſternentes,
1.Johan.II.18. 2.Johan.7. vel *ſpecialius* atqve Chriſtum & Meſ-
ſiam ſeſe eſſe aſſerentes ſic dicuntur, ut PſeudoChriſti *M.XXIV.24.*
juxta nonnullos huc referendus etiam Gog & Magog Antichri-
ſtus extra Eccleſiam Orientalis, cui itidem in excellentiore gra-
du, alio tamen modo hoc nomen ab Eccleſiaſticis Scriptoribus
tribuitur. Vel *ſpecialiſsimè ἐξοχικῶς & ἀντονομαστικῶς ὁ ἀντίχριστος*
appellatur *1.Joh II 18.* cum articulo, multis Antichriſtis contra-
diſtinctus; qvæ & ipſa appellatio gradus admittit, per qvos ad
ἀκμὴν tandem pervenit, ſecundum qvam propriiſsimè ei conve-
nit.

4. *Synonyma*: tam propria qvàm figurata, hîc in Daniele &
apud Johannem occurrunt plurima: inter qvæ hîc eminent,
qvod dicitur ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας tam *paſsivè* qvàm *activè*, ſed hoc po-
tiſsimùm reſpectu, unde & *ἀπολλύων* ex *Apoc.XII.12.* appellatur.
Vocatur etiam *τὸ μυστήριον τῆς ἀνομίας*, à forma & modo agendi,
nempe *Myſterio pietatis 1.Tim.III.16.* oppoſitum, ſicut & meretrix
Babylonica in fronte habet inſcriptum nomen *Μυστήριον Apoc.*
XVII.5. qvod nomen *Myſterii* tiaræ Pontificali inſculptum usq; ad
tempora Julii, qvi adamantinis literis ſuum pro illo reponi cu-
ravit, teſte *Scaligero*. *Numerus nominis & hominis* Antichriſto tribui-
*Apoc.*XIII.17.18. nempe 666. qvi in voce *Hebræa* רומיית, *Græca*
λατεῖνος apud *Irenæum*, namque I longum Romanorũ per ει expri-
mitur: *Latina Romanus* ſi Hebraicè רמענוש ſcribatur cum Latini

per-

per literas numeros non exprimant; quamvis & literæ ad numeros Latinis adhibitæ præcisè DCLXVI efficiant, nam millenarius olim aliter cIↄ pingebatur. Poſt Antichriſtum revelatum nomen ejus eſſe PAPA, prout ſibi ſoli illud arrogat, ſcimus.

5. *Conjugata* ſunt, *Antichriſtianiſmus,* qva voce regnum Antichriſti inſinuatur, qvod cum Antichriſto & hic conjungimur, dum ἀποστασίας fit mentio, cujus caput homo ille peccati eſt. Conſideratur verò *Antichriſtianiſmus vel in initiis* & præparatoriis, quando caput illud nondum plenè erupit *operationem myſterii Iniqvitatis*, hunc ejus ſtatum Paulus hîc appellat; *vel in ἀκμῇ*, qvando caput ſuum habet & ab illo dependet, qvem ſtatum *revelationem in ſuo ipſius tempore* Apoſtolus *v. 6.* vocat. *Antichriſtianum* porrò dicitur, *Non* omne id qvod per Tyrannidem ab Antichriſto occupatur, ſic enim omnia bona qvæ habemus, Evangelium & Sacramentum Baptiſmi ex Papiſmo accepimus; *Nec* etiam omnes qvi ſub ejus imperio ſunt; *ſedet namq; in templo DEI ſe ſuper σέβασμα extollens. Sed illud propriè* Antichriſtianum primariò eſt, qvod ad Reſervata Papæ Titulos Eminentiam & Proprietates Papæ pertinet; conſeqventer verò qvod *ad curiam Romanam* ſpectat, & mediis Antichriſto propriis ſcienter regnum ejus ſtabilit, reliqviæ Eccleſiæ & Politia Chriſtiana Tyrannide Papæ oppreſſa Papana vel Antichriſtiana eodem modo dicitur; qvo Patriarchatus Conſtantinopolitanus & Eccleſia Græca, Turcica vel Antichriſtiana ab Antichriſto Orientali diceretur, à qvo itidem oppreſſa eſt. *Conſeqvitur* inde nos Papam Antichriſtum demonſtrando, *neqvaqvam Imperatorem Romanum Antichriſtianum vocare*; ſed potius jura & Majeſtatem ejus vindicare; ſeqveretur alioqvi ſi vel maximè Utopicus Antichriſtus Pontificiorum veniret, nec tunc ſine crimine læſæ Majeſtatis Antichriſtum dici poſſe. Qvin licet *Germaniæ Epiſcopi* propiore nexu Antichriſtianæ cohæreant curiæ; qvia tamen ut Principes imperij ab illa non dependent, ea ratione, præſertim ſi admitterent Evangelium, Antichriſtiani dici non debent. Peſsimè verò rurſus inde inferretur. E. Nec Papa Antichiiſtus eſt.

Ad II.

Qvoad τὸ ὄν qværitur 1. *An detur aliquis Antichriſtus? Affirmatur.* Non enim ita de Antichriſto, ut de Chimæra & Purgatorio diſpu-

diſputamus. Et mallent ſanè Antichriſticolæ potius nullum Antichriſtum dari qvam ſeipſius ſervos dici. Uno ore tamen omnes antiqviores & recentiores fatentur, *dari talem aliqvem Antichriſtum magnum*, qvamvis alij dicant dari *actu* alii adhuc *in potentia*. Solus qvantum nobis conſtat, *Grotius* negat, & noſtrum dictum de *Caligula & Simone Mago*, alia *de Bar Cotheba & Domitiano*, *Apollonio & Trajano* exponit, Cui nos noſtrum hac vice dictum opponimus, cujus ſcriptionis tempus, ſcopus, connexio, Emphaſes non permittunt, illud de particularibus qvibusdam Caligulæ ante mortui & ſeparatis Simonis Magi actibus exponere, ut ſuo videbimus loco. Falſiſsimas interim Grotii hypotheſes eſſe agnoſcimus; qvod poſterior ad Theſſalonicenſes prius ſcripta ſit (at *v.* 2. Epiſtolæ mentionem facit, nempe 1. *Theſſ. IV.* 15. malè intellectæ, ut & *v.* 5.) qvod ſcripta ſit anteqvam Paulus Theſſalonicam venit (at *v.* 5. meminiſſe vult, qvæ dixerat *exiſtens apud eos*) qvod ſcripta anteqvam Eccleſia plenior collecta fuerit (at *c. I.* 3. 4. alia laus illis tribuitur) qvod ſcripta à Paulo ignaro rerum poſt mortem eventurarum (at ipſe non minor aliis Apoſtolis, non tantum 1 *Tim. IV.* 1. *Act. XX.* 2 *Tim. IV.* aliud oſtendit, ſed & cum iſta ſcriberet, licet ſuæ vitæ terminum præcisè haut noſſet, non ignorabat vaticinia ſui Magiſtri, ſe vivo non poſſe omnia impleri) Hæc & ſimilia figmenta certè Grotio indigna.

Q. 2. *An doctrina de Antichriſto proponenda? Affirm. Lutum platearum Capellus Franciſcanus de primatu Regis p. 26. crambem coctam ſæpius & recoctam*, *Leſſius* appellat. Nos aſſerimus articuli hujus 1. *Dignitatem*, ob illius honorem vindicandum, cui ſe Antichriſtus opponit, Chriſti noſtri Salvatoris. 2 *Neceſsitatem, non ut articuli fundamentalis* fidem generantis, ut omnibus omnium temporum Chriſtianis ejus notitia & confeſsio ad ſalutem ſimpliciter neceſſaria; *nec ut articuli principalis talis in qvo omnis error damnabilis*, præſertim cum ante impletionem vaticinia non poſsint plenè intelligi: & poſt impletionem errores Antichriſtianos qvis rejicere poteſt, qvos tales eſſe ipſe non novit; *ſed ut Articuli talis* qvi jam poſt eventum *pars fidei hiſtoricæ* eſt, cujus præfracta negatio, errorum Antichriſtianorum damnabilium ſi non approbationem, palliationem continet, contrariam mandato de exeundo

Ap. XIIX.

Ap. XIIX. 4 divinitus dato, cum & periculum animæ malitioſè adhærentibus ſubſit v. 10 3. *Utilitatem*: facit enim ad inſignem Eccleſiæ conſolationem, qvin & evicto hoc themate totus Papiſmus concidit.

Q. 3. *An doctrinam de Antichriſto in Imperio Romano tractare & applicare liceat?* *JCti Dillingenſes*, *Forerus* Landherr & ſimilis farinæ aſſerunt Papam Antichriſtum vocare eſſe novum dogma, in A. C. non propoſitum & ita ex Pacificatione Paſſavienſi excluſum, ex qvo etiam non ſine crimine læſæ Majeſtatis ſeqvatur, Imperatorem qvi ſit juratus defenſor Eccleſiæ Romanæ, Antichriſtianum Imperatorem eſſe. *Sed Reſp.* I. Spiritum S. ita accuſari, quippe qui in verbo ſuo Antichriſtum ſic depingit. II. Nos idem ex Scriptura proferendo, doctrinalia non perſonalia tractamus, ſine ullo injuriandi animo. III. Antichriſto Pontificiorum Utopico etiam Magnates adhærebunt, ſicq; veritatis Confeſſores & tunc Rei erunt. IV. Imperator & Imperium Rom. toto cœlo ab Antichriſti rebus diſtincta; & quidam Impp. ipſi Papam Antichriſtum proclamarunt; ad Juramentum Papæ præſtandum, nec jure divino nec ex Imperii Conſtitutionibus obligatus Imperator eſt; ex ſpontanea conventione ſi id facit, tale eſt quale juramentum à Patrono clienti præſtari ſolet, & reſpicit, Epiſcopum & Rom. Eccleſiam quales de jure divino eſſe debebant, à quo licet ipſe diſcedat ut Antichriſtus, non tamen omnes qui in ejus cœtu decepti vel ſubjugati inveniuntur, Antichriſtianiſmi rei peragi poſſunt, ut ad N. I. Not. 5. dictum. V. In Aug Confeſsione approbatur doctrina Concionatorum Lutheranæ Eccleſiæ; at *Lutherum* paſsim ac præſertim *in lib. de Capt. Babyl.* Et, *Contra Bullam Antichriſti*, *Et in Aſſertione Articulorum*, quæ ſcripta omnia Anno XX edita fuerant, Papam Antichriſtum proclamaſſe, ait ipſe *Bell. l. 3. de R. P. c.* 18. Et licet Antichriſti nomen omiſſum ſit in A. C. cum particularia & odioſa omnia recenſeri, nec utile nec neceſſarium eſſet, paſsim tamen res ipſa habetur, & diſertè quod illam doctrinam Dæmoniorum, quæ Antichriſti nota in Scripturis aſſeritur, foveat; certè *in Apologia* expreſsè ita nominatur; & *Synodi Schmalcaldicæ*, ut *Bellarminus* eam vocat, hoc dogma idem attribuit *l. 3. de P. R. c. 19.* Ipſa verò pacificatio Paſſavienſis illimitata eſt, omnia Eccleſiæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

Lutheranæ dogmata & ceremonias reſpiciens. Ab illa ergo excludendi non ſumus, quando Papam Antichriſtum eſſe probare pergimus.

Q. 4. *Unde doctrina de Antichriſto petenda? Non ex Apoſtolorum Traditionibus*, quas fictitias eſſe ſatis conſtat: & illud quod *v.*5 coram tradidiſſe ſe dicit, quod plerique de imperii Romani diminutione vel deletione exponunt, idipſum ſuo ſcripto Apoſtolum tradidiſſe infra videbimus. *Nec ex Patrum Scriptis*, ad quæ Pontificii nos remittunt, quippe qui Spiritu prophetico ad hanc rem haut inſtructi, præter Scripturam non niſi conjecturas de futuris proferre potuerunt, quas ſibiipſis & eventui contrarias ſæpe deprehendimus. Sed *ex ſola Scriptura Sacra V. & N. T.* quæ ut in fidei articulis aliis, ita & hîc ſufficiens eſt: Proponit verò hunc articulum tam in V. quàm in N. T. & ſicut in Daniele *tum myſticè* ſub typo Antiochi, *tum propriè & literaliter c. XI v. 36 & ſeqq.* ita & in N. T. *tum myſticè* ſub figura beſtiæ meretricis, *tum propriè & literaliter*, hoc cumprimis loco proponit, ut is præcipua *articuli de Antichriſto ſedes* ſit. Porrò dictum hoc de Antichriſto agere probamus 1. *Ex Contextu.* Deſcribitur enim talis impoſtor, qui poſt longas præparationes malitiæ, per Apoſtaſiam univerſalem & ſuperbiam ineffabilem in Eccleſia erumpens eam graviſsimè premit, ſingulariter à Chriſto debellandus; at talis non eſt ex numero communium Chriſti hoſtium aliquis, ſed plane ſingularis atque maximus Antichriſtus. 2 *Ex parallelis locis*, exactè cum noſtro conſpirantibus, & ſingularem Antichriſtum depingentibus cumprimis in Daniele & Apocalypſi. 3. *Ex communi conſenſu Chriſtianorum*, dictum hoc de Antichriſto exponentium; tam veterum *Patrum*, *Auguſt. l. 20. de C. D. c.* 10. *Tertull. de reſurr. carnis. Lactant l. 7. c.* 13. *Ambroſ. in 2. Theſſal. 2. Hieronymi ad Algaſiam q.* 11. *Chryſoſto. in 2. Theſſal. Hom. 4. Cyrill. catech.* 15. *Theophylacti, Oecumenii, Gloſſæ interlinearis, Marginalis, Lyræ:* quam *recentiorum* omnium, etiam hæreticorum magno numero ſuperius adductorum.

Ad III.

I. *Cauſam efficientem* AntiChriſti *vel in ſe vel relatè ut pœna eſt* conſideramus. *Interna* efficiens vel deficiens potius eſt *ipſa hominum*

minum perverſitas, quæ omnis hæreſeos cauſa exiſtit: Hinc tribuitur huic apoſtaſiæ τὸ venire, quod in hac materia, ſignificat ſponte ſurgere, & non à DEO provenire. Sic Pſeudoprophetæ veniunt *M.* VII. nempe non miſsi à Deo *Jer.* XXIII.21. & hoc eſt *in ſuo nomine venire Joh.* V.43. (quod ad Antichriſtum à quibusdam refertur, quamvis de eo ſolo hic Chriſtus non loquatur) cui opponitur, *in nomine Patris venire*, ex DEO eſſe &c. De eodem adventu *v* 7. dicitur τὸ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας: illud ἐνεργεῖται *omninò paſſivè accipiendum*, ſcribit *Mareſius*. Sed idem paulò ante approbaverat *Grotii* explicationem, *Jam in arcano impietas iſta ſe præparat* (quod & nos approbamus quoad operationis initia, ut nomen myſterij tamen Antichriſto etiam revelato, ſacro velamine utenti, conveniat) & eſt vox ἐνεργέομαι in perpetuo Scripturæ N. T. uſu med. διαθέσ: activæ ſignificationis, ac ſepties ita uſurpatur â Paulo *Rom.* VII.9. 2. *Cor.* I.6. IV.12. *Gal.* V.6. *Epheſ.* III.20. *Col.* I.29. & in hoc ipſo capite comm. 3. & ſemel à Jacobo. *V.* 16. Deſcribitur ergo hac phraſi (1.) *Agens*, ipſum Myſtetinm iniquitatis: Iniquitas ſcilicet humana ſeipſam magis magisq; depravans. (2.) *Agendi modus myſticus*, Iniquitatis Myſterium enim ab agendi modo dicitur, non tantum ratione occultati initij, ſed & quia ad religionem & ſacra ſpectat illa actio, ſicut myſteria regni cœlorum paſsim ita in Scripturis dicuntur, & in N. T. vox μυστηρίου aliter non accipitur. (3.) *Agendi initium*; ἤδη quod ipſo Apoſtoli Pauli tempore ceperit, per hæreſes, contentiones de perſona Petri 1. *Cor.* III. cumprimis in *Diotrephe*, per primatus ſtudium Excommunicatione munitum 3. *Joh* 9. faſtuq; ipſo urbis Romæ; jam tum Apoſtolorum tempore in Eccleſiam illam ſe immiſcente, ſi enim Gajus, quod *Heinſius in Exercitat. habet*, Romanus; Diotrephes ὁ φιλοπρωτεύων Romanus quoque cenſendus erit. (4.) *Actionis impeditio.* Ne enim ſtatim Apoſtolorum tempore impietas iſta Myſtica Tyrannidem publicam & plenam in Eccleſia obtineret, h. e. Antichriſtus perfectè in publicum prodiret, *aliquis impediit*, ut tamen interim in occulto ſeſe moverit, ὁ κατέχων, qui hoc facit, appellatur, quam vocem plerique eodem ſenſu ut præcedens τὸ κατέχον exponunt, ſed ita (α) Apoſtolus ſe plenius non explicaret, ſed idem otioſè repeteret (β) propria & pri-

maria vocis κατέχω ſignificatio eſt *occupo*, id eſt, *poſſideo*, *firmiter teneo*; retinenda ergo illa quando locum habere poteſt. (γ.) Quam & ſignificationem participium in Scriptura N. T. ſemper, *Rom. I*, 18. quoque, obtinere poteſt. (δ) Ubi verò abſolutè ponitur neceſſariò ita exprimendum, ut plus ſit quam ἔχων 2. *Cor. VI*, 10. & conſequens ἀγοράζοντος 1. *Cor. VII*. 30 de rebus mundanis tamen cordi Chriſtiano non conveniens, (ε.) ac proin vel maximè in ſingulari abſolutè poſitum participium & quaſi nominaſcens illam ſignificationem hic obtinebit (ζ) atque ita perquam commodè & cum parallelismis & eventu convenienter *omnium Dominum & Poſſeſſorem urbis orbem obtinentis* denotabit. (5.) *Actionis plena* ἀκμὴ. *Contingit* illa *ſuo ipſius tempore*, & tunc quando obſtaculum ſeu Imp. Romanus Roma remotus fuerit, ἐκ μέσου ſignificat non per Latiniſmum totalem deſtructionem, ſed juxta Scripturæ perpetuam phraſin, *ſeparationem M. XIII*, 49. *Act. XVII*, 33. *XXIII*, 10. 1. *Cor. V*, 2. 2. *Cor. VI*, 17. ne amplius ei conjunctus, vel & ἐναντιος contrarius ſit, ut *Col. II*, 14. de lege ita exponitur. *Conſiſtit* eadem in *Apoſtaſia graviſſima*, cui cohæret ἀποκάλυψις ἀνόμου; non illa, qua turpitudo meretricis propalanda, *quando eum Dominus conteret Spiritu oris ſui*, ſed illa *v.* 3. quæ & παρουσία ipſius dicitur *v.* 9. quando videlicet univerſale dominium hæreſi ſua occupabit & Tyrannidem plenariè exercebit. Quæ ejus operationes infra plenius depingentur.

II. *Cauſa externa Antichriſti diabolus eſt non tantum per generalem externam ſvaſionem atq; occaſionis & objecti oblationem*: qua ſolâ ratione concurrebat ad primum Adæ peccatum, & poſtea ad omnia quoque peccata, ut omnis mali fons & cauſa: *nec tantum per ſpecialem internam impulſionem*, quo pacto deſcribitur ut ἐνεργῶν *in filiis incredulitatis Eph. II*, 2. qui *laqueis ipſius captivi ad ipſius voluntatem tenentur* 2 *Tim. II*, 26. Quæ ipſa operandi ratio gradus habet, & ſupremus in excœcatione invenitur. *Nec* verò etiam hoc referendum eſt *ad corporalem obſeſſionem*, ſicut ἐνεργούμενοι obſeſſi dici conſveverunt: *multò minus ad incarnationem aliquam diabolicam*, quam ad *Not.* 4. refutabimus. *Sed* tamen *per ſingulariſſimam aliquam diaboli operationem*: unde D. Apoſtolus emphaticè ait: οὗ ἐστὶν ἡ παρουσία κατ᾽ ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ, ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ ἐν πάσῃ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

πάσῃ ἀπάτῃ; *Relativum* ad remotius nomen *ἀνόμου* refertur, ejusq; adventus Satanæ ita attribuitur, ut omnem ſuam potentiam & fallaciam, DEO permittente, in hoc filio ſuo producendo & Chriſto opponendo exhauſerit. Unde viciſsim Chriſti major potentia, & Satanæ impotentia colligitur, dum tota illa Satanæ ſtructura & potentia, Spiritu oris Chriſti ſeu verbo ejus diſsipatur.

III. *Cauſa efficiens judicii, quo Antichriſti adventus in pœnam dirigitur DEUS eſt*: Apoſtolo dicente: *πέμψει αὐτοῖς ὁ θεὸς ἐνέργειαν πλάνης*. Ubi nota [1] Pertinere hoc ipſum *ad judiciariam DEI voluntatem*; hinc & mox ſubjungitur: *v. 12. Ut judicentur omnes non credentes veritati*: illam tamen *hautquaquam abſolutam*, nedum cujus objectum homines adhuc creandi ſint. Nam [2] videmus indicari *voluntatem antecedentem beneficam*, juxta quam illis qui Natura tenebræ ſunt, ut poſt lapſum ſunt omnes homines, hîc verò *ἀπολλυμένοι* diſertè nominãtur, lux veritatis à Deo patefacta ſuit; Nãq; *non receptio v. 10.* oblationem præſupponit: *Res oblata* eſt *ἀγάπη τῆς ἀληθείας*, quæ *ſi Chriſtus* eſt, (ut *Ambroſio & Theophylacto* videtur, quippe qui & veritas & charitas) aut *ſi paßivè* accipitur *pro charitate, qua à DEO diligamur, Rom. VIII. 37.* aut ſi explicatur *activè de ſtudio veritatis*, fidem conſequente, ſeu (ne aliquid ante gratiam Pelagiano more hominis viribus aſsignetur) potius *de ipſa fide*: unum meritum, alteram cauſam primariam, tertium medium ſalutis in promiſsionibus Evangelicis generalibus, non tantum indicari ſed & reipſa offerri oſtendit. Nec enim veritatis præconium, ad ſalutem inſufficiẽs, ut inſuper illuminatio mentis & ſalvifica fides, ex alio Dei dono requiratur, ceu *Marcſius* Schwenckfeldianizat. *Finis oblationis* ratione rejicientium etiam ex intentione veriſsima offerentis, licet ab ipſis una cum re oblata rejectus: *eſt ſalus eorundem*, *εἰς τὸ σωθῆναι αὐτοὺς*. Idem ex *v. 12.* ubi judicandi dicuntur *οἱ μὴ πιστεύσαντες τῇ ἀληθείᾳ*, nempe revelato Evangelio, quod *DEUS* velit ipſos propter Chriſtum ſalvos fieri. Hoc ſi ad ipſos non pertineret, nec de illis verum eſſet, judicandi forent, quod rem ad ſe non pertinentem, imò falſitatem non crediderint. [3]. *Voluntas* tamen hæc *non eſt coactiva*, ſed *ordinata & admittit contrariam repugnantiam*. Ubi obſerva, Nos Antichriſticolis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

colis pereuntibus, *nequaquam tribuere, naturalem libertatem & potentiam ad credendum*; Sed veritas Evangelica oblata, ſuper naturales credendi vires in ſe continet, & ſimul omnibus audientibus offert. *Nec* tamen etiam tribuimus ipſis *tantum naturalem, omnibusq́ post lapſum communem ἀδυναμίαν & inimicitiam*; ſed *repugnantiam affectatam* oblata media ſcienter non recipientem, & incredulitatem cum εὐδοκία deliberata voluntate & beneplacito, quoad approbationem injuſtitiæ, *v.*12. conjunctam. Atque hanc ipſam aſſerimus eſſe *cauſam meritoriam & προκαταρκτικὴν*, ſeveri illius judicii divini, cui ſecundum voluntatem conſequentem Antichriſticolæ ſubjiciuntur, quod particulæ ἀνθ' ὧν *v.*10. & διὰ τοῦτο clarè ſatis evincunt. Nam [4] ſine ulla Sociniana mutatione propoſiti divini, ex inopinatâ hominum pervicaciâ, ut *Mareſius in Diſſert. de Antichriſt. p.90.* hîc fingit. Juxta mutatam objecti, ſalutem reſpuentis, conſtitutionem infallibiliter prævisam, *decretum Voluntatis* conſequentis ab æterno factum eſt; de ingratitudine iſta per juſtiſſimum judicium punienda. (α) *Norma illius* eſt *actus intellectus divini*, qua Scientiæ ipſius ſemper omnia nota & præſentia ab æterno; *tum* ingratitudo illa maxima hominum erga Evangelium; *tum* Antichriſti malitia, Satanæq́; furor, *tum* denique omnium Antichriſti ſeductionem ſequentium vitiorum & malorum, quam DEI omniſcientiam ipſa hæc Apoſtolica prædictio, ut effectus ſuam cauſam, monſtrat. (β) *Actus voluntatis poſitivus & punitivus* hinc ſequitur, nempe *deſertionis*, dum gratiam ſuam ingratis hominibus ſubtrahit. Cujus deſertionis & ſubtractionis dantur gradus; In quovis peccato mortali ſubtrahitur inhabitans gratia; at in excœcatione gratia aſsiſtens etiam tollitur, non ut verbo non amplius adſit, ſed ne erga hoc puniendum ſubjectum ſeſe exſerat; quæ Subtractio ſi totalis eſt, primi etiam actus gratiæ quibus naturalis incapacitas tollitur & naturalis repugnantia impeditur, ſubtrahuntur: atque tunc homo animalis ſibi & Satanæ relictus veritatem in injuſtitia detinet, & concluſiones patefactæ veritatis in mendacium permutat, prout hoc *Rom.I. & 1.Cor.II.* deſcribitur. Atque talem deſertionem circa Antichriſtum contingere omninò ſtatuimus. (γ) *Actus ſubſequens* voluntatis eſt *negativus*, circa malitiam qua talis occupatus, quan-

do

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

do in hominibus à gratia deſertis malitia non impeditur ſtatim, ſed ad tempus libero motu ferri permittitur. Sic *conceditur Myſterio* iniquitatis per hæreſes ſpontè ab hominibus excogitatas, & faſtum in Eccleſiam introductum Antichriſto acceſſum præparare, *v. 7. Conceditur Satanæ*, ſtudium ſuum ſemper eo dirigenti, omnem potentiam & aſtutiam in Antichriſtianiſmo producendo exſerere *v 9. Conceditur filio perditionis* activè ſic dicto, per ſigna & prodigia mendacia *v. 9.* decipulas nectere. Atque iſtis omnibus ita conceſsis, *mittitur efficacia erroris*: ſeu efficaciſsimi errores à diabolo & hominibus ut à propriis cauſis producti, extrinſecus ita objiciuntur ingrato mundo, ut mox pluribus videbimus. *Conceditur* tandem ipſis *Antichriſtianiſmi membris*, in pœnam rejectæ veritatis, mendacio credere illique applaudere *v. 10.* & ſibi ipſi in injuſtitia magis magisq; placere *v. 12.* (δ) *Actus deniq; ultimus voluntatis divinæ iterum poſitivus & directivus* eſt; qui ſicut prior actus, Antichriſtianam malitiam in τὸ fieri; ita hìc in τὸ Eſſe conſiderat. *Dum* nempe furori Antichriſti & Diaboli *metas præſcribit*, ne etiam electos iſtis erroribus finaliter involvat, conf. cum *v. 13 M. XXIV. 24. Dum* malitiæ Antichriſtianæ ex propriis monſtratis cauſis exiſtenti, *relationem pœnæ* ſuperaddit, ut juſtus judex judicans vel (ut Beza κρίθῶσι *v 12.* vertit) puniens ita incredulos, gravioribus erroribus, in quos ſeipſos præcipitant. *Dum* eidem malitiæ & Antichriſti dominio revelatione ruinam & extremo die *finem affert. Dum* denique omnia iſta mala, ad bonorum commodum & ſuam gloriam *dirigit*. (ε) *Nequaquam* verò *circa ipſam malitiam* Antichriſtianam, ut talis eſt, occupatur aliquis *actus voluntatis divinæ poſitivus*, ut immittat vel inſpiret illos errores & mala: ceu *Paræus in Irenico c. 28. art. 3. p. 250.* ſcribit: *At, inquiunt, DEUS dicitur mala feciſſe, quia fieri permiſit: Non igitur author eſt peccati. Quis verò gloſſatores tales ferat? Immiſit efficaciam erroris, id eſt, immitti permiſit.* Quod annon eſt diſertis verbis DEUM ita authorem peccati facere, ut malum culpæ & errores immittat & infundat? Nos Reſp. 1. aliud eſt *mitto* πέμπω aliud *immitto* ἐμφυτεύω, illud extrinſecus fieri poteſt, oblationem objecti alicujus evitabilis concedendo, hoc intrinſecus terminatur. 2. Miſsio eſt plerumque rei jam exiſtentis, ſic ergo & errores aliunde extiterunt.

terunt. 3. Imo quandoque etiam venire expetentis *Phil.II.25.26.* 4 Et quoad directorem, tantum *permittentis. M.II,28.* Certè diaboli, cum præceptum Chriſti de exeundo ipſis moleſtiſsimum eſſet *Luc.VIII,*19. eumq́; deprecarentur multum ne extra regionem ejicerentur *Mar.V,*10. ne imperaret ut in abyſſum irent *Luc.IIX.31.* cum rogarent ut ἐπιτρέψῃ permitteret in porcos ingredi *ib. v. 32.* tunc orant omnes dicentes, πέμψον ἡμᾶς *Mar.V,*12. quod *M.VIII,* 31. ita efferunt, *Si ejicis nos* ἐπίτρεψον *permitte nobis*; atque hoc Jeſus ad tot preces ἐπέτρεψε permiſit tandem *Mar.V,*13. *Luc.VIII,*32. idq́; dicens eis, ὑπάγετε, *M.VIII.*32. qua voce Satanam etiam *M.IV.*10. abegit. *Mittere* hîc non ἐνεργείας ſed συγχωρήσεως eſſe qui non videt, nil videt: quale & ſemper eſt Dæmonis ad malum quod ex ipſo & ex mundo & non ex Patre eſt, 1. *Joh.II* 16.

Ad IV.

Quæ *ad materiam Antichriſti* ſpectant, certis Aphoriſmis includemus.

I. *Antichriſtus homo eſt;* ἄνθρωπος diſertè ab Apoſtolo appellatur, *Dan.XI.37. Patres* ipſi attribuuntur, & ob *contemtum amoris mulierum* reprehenditur. *Non ergo Diabolus* ipſe Antichriſtus erit, ut *Baſil. in Pſ.7.p.220.* diabolum ab Apoſtolo filium perditionis vocari ſcribit, & *Hippolytus Originis* σύγχρονος putat, *diabolum phantaſtica carnis ſubſtantia, ex impura muliere aſſumta, organi vice uſurum. Theodoreto* quidam hanc opinionem etiam attribuunt; ſed *natura hominem eſſe, qui omnem operationem Satanæ in ſe ſuſcipiat,* in h. l. commentatur. Chamier *l.17.c.1.n 42.* addit *corporaliter,* ſed id ego non invenio. *Hieron. in c.7 Dan. & Damaſ. l.4. O.F.c.8.* iſtam ſententiam refutant. Sic & *corporaliter à Diabolo Antichriſtum obſeſſum* iri, idq́; in ipſo utero materno, ut Pontificiorum habent fabellæ; operationes Antichriſto aſsignatæ haut ferunt: quamvis ſpiritualem obſeſsionem concedamus & ſupra eam oſtenderimus. *Pactum quoq; Magicum* cum ipſo inire poſſe, exempla quorundam Pontificum monſtrant; id tamen ab omnibus continuandum eſſe, ex Scripturis probari non poteſt.

II. *Antichriſtus homo unus eſt non unitate perſonæ numerica ſed muneris ſucceſsiva.* Unus non ſicut Phœnix ſed ſicut Sol & Chriſtus Antichriſtus eſt, juxta *Sylveſtrum Vallenſem.* Sed opus illud Ca-

tholicæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

tholicæ Apoſtaſiæ, quæ hîc Antichriſto aſſignatur, non eſt opus unius hominis, aut unius ſeculi. Et cum remoto Româ Imperatore & ejus imperio, revelandus fuerit Antichriſtus, & usque ad glorioſum Chriſti adventum permanſurus, priusque ante aliquot ſecula ut conſtat factum ſit Mathuſalæ ætatem Antichriſtus attinget, quod cum Pontificiorum calculo non concordat. Nec eſt quod urgeant *articulum* hîc aliquoties in ſingulari repetitum. Namq; articuli Græci non ſemper firma ſuppeditant argumenta, ſed quandoque ornatus gratiâ adjiciuntur: nec ſi Emphaſeos cauſa, ſemper, unitatis eſt ſignificatio; ſemper verò articulum unam perſonam denotare falſiſſimum. Ne ipſi Pontificii quidem id in Controverſia de Papa concedent, ad quem privilegia Petro cum articulo addito attributa, itidem referunt. Certè in hoc ipſo dicto *ὁ κατέχων* cum articulo ſic dictus, non eſt una perſona; niſi fingas à Pauli usque temporibus duas perſonas unam Antichriſti, alteram Imperatoris vitam ad finem mundi usque continuaturas eſſe. Et articulus nihilominus utrobique manet *δεικτικὸς* certi ſubjecti, ſed ratione muneris ſucceſſivè ſuſcepti conſiderandi, ſicut *unus rex* & Papicolîs *unus Papa* cenſetur, qui non moritur. Perquam evidens locus eſt *Heb. IX. 7.* ubi non tantum *ὁ ἀρχιερεὺς cum articulo* dicitur, ſed & præmittitur *Excluſiva μόνος*, & tamen intelligitur ordo Pontificum, ſibi invicem ſuccedentium, licet quandoque in ſchiſmate, & tandem ex conventione plures ſimul eſſent (ne ſimile quid Papicolæ nobis objiciant, quamvis ne ipſi quidem Eccleſiam ſuam tum bi vel tricipitem fuiſſe concedant) ſic non ſolum *Caiphas* illius anni ſacerdos ſed & *Hannas* & alii cum articulo ita appellantur *Act. IV. 6.* *ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας* & Judas in individuo appellatur, & ab hoc diſtincta perſona Antichriſtus; quidni & Antichriſtum conſtituens ſeries, & quilibet ſucceſſivè illius partes peragens, ita dici poſſet. Nec proin opus juxta *Leſſij* phraſeologiam, Spiritus S. linguam ita corrigere niſi revelati fuerint filii perditionis, cum juxta Pontificios ipſos, omnes Papæ unus Papa, unus Petrus ſint. Siq; vel maximè malitia perſonalis major apud hunc quam illum; malitia tamen quæ Antichriſto propria, apud omnes una eſt: Notæ etiam Antichriſtum conſtituentes omnibus & ſingulis individuis conveniunt, quamvis non item quæ initium & finem ejus depingunt;

 pingunt;

pingunt; omnes tamen tandem in illum unum per ſucceſsionem cohærentem conveniunt, licet non ſemper omnes eidem adſint.

III. *Antichriſtus ex Chriſtianis & inter Chriſtianos eſt.* Illud quia ἀποστασία ei tribuitur; hoc quia *in templo DEI* collocatur. Et prius quod attinet vox ἀποστασίας *defectionem* denotat, ſicq; terminum à quo talem, cui ante quid adfuit vel adhæſit, deſignat: (α) *ratione originis*, deſcendit enim ab ἀπὸ & ἵστημι *ſtatuo*, ac proin eſt *deſtituere, deficere* vel *abſiſtere facere*, atque hanc ſignificationem in decompoſitis omnibus retinet, ut ſunt ἐξαφίσταμαι *diſcedo*, προαφίστημι *prior diſcedo*, προσαφίστημι *præterea ad defectionem ſollicito*, συναφίστημι *una deficio.* (β) *ratione primariæ ſignificationis*, quæ illi ab omnibus authoribus & Lexicographis aſsignatur. (γ) *ratione uſurpationis*, ipſa vox ἀποστασιάς tantum hîc & *Act.* XXI. 21. habetur, atque illic quidem pro defectione à Lege Moſis accipitur. ἀποστάσιον *libellum deſertionis* indicat *M. V. 31. XIX. 7. Mar. X. 4.* ipsâ vox ἀφίστημι etſi quandoque in bonam partem accipiatur *Act. V. 38. 1. Tim. VI. 5.* ſemper tamen in N. T. *ſeparationem & diſceſſum* notat. (δ) *ratione explicationis*: qualem enim ἀποστασίαν Paulus circa extrema tempora futuram ſtatuat, ipſe ratione objecti exponit 1. *Tim. IV.* 1. ἀποστήσονται τινες τῆς πίστεως, ergo ante ad fidem & religionem Chriſtianam pertinuerunt, & per Baptiſmum eidem initiati fuerunt. Nec eſt quod objiciat *Grotius LXX voce hac* uti in latiore ſignificatione *ad alias etiam radices Hebræas exprimendas.* Namq; id non tollit propriam & nativam ejus ſignificationem, à qua non niſi urgente neceſsitate, quæ hîc nulla, diſcedendum: nec præjudicat phraſeologiæ Sp. S. in N. T. adhibitæ & explicatæ: nedum noſtro loco, ubi planè Emphaticè vox hæc poſita omnibus concedentibus; quamvis & pleraque omnia exempla à *Grotio* adducta ſeceſsionis ſignificationem admittant. Emphaſes quorundam vocabulorum N. T. adductis Hebræis radicibus, quas in re ſimili explicanda Spiritus S. in V. T. adhibuit, & LXX Græca illa voce expreſſerunt, Theologi adducere conſveverunt; applicare id ubivis, vel per minus accuratas LXX locutiones, Emphaſes Spiritus S. enervare, aut ſenſum Sp. S. dubium reddere; quis Helleniſtis & novis illis Criticis concedet?

Porrò

Porrò ita argumentari velle ex v. 10. *Judæi tempore Chriſti veritatem non receperunt. E. punientur miſſione Antichriſti quem recipient. At non recipient niſi Judæum. Judæus ille ex tribu Dan erit;* eſt extra Scripturas (illa enim quæ de Dan afferuntur, contorta eſſe ipſe Bellarminus agnoſcit) per incertas Veterum conjecturas, funiculos ex arena nectere. Niſi præſupponatur, omnes quovis tempore veritatem rejicientes Antichriſto adhæſuros, vel ſolos Judæos veritatem rejicere: Judæos itidem nullum alienigenam pro rege, (ſicq; nec Herodem nec Cæſarem) agnoſcere: vel alienigenam non poſſe per impoſturam Judæum ſe ſimulare: poſt tantam etiam tot ſeculorum confuſionem, tribum Dan non ſine miraculo à reliquis ſeparandam: aliosq; Judæos ob rejectam ab aliis ante ſedecim ſecula ferme veritatem, Antichriſto puniendos eſſe. Nec eſt quod quis cenſeat, *Aoriſtum v. 10. & 12. per præteritum reddendum eſſe:* in ejusmodi enim loquendi generibus ſicut *Marc.* XVI. 16. *Joh. V. 22.* reddendum eſt, qui crediderint, bona fecerint: vel præteritum non juxta loquentis vel ſcribentis, ſed eventus & judicii tempora æſtimandum.

Poſterius ex priori conſequitur, Apoſtaſia enim totalis, tàm ratione ſubjecti quàm objecti, ita abſolutè poſita indicatur: Antichriſtus ergo rex Apoſtata erit, in regno Apoſtatico, ita ut ipſius membra & miniſtri Apoſtatæ ſint, ipſiusq; Tyrannis eo tendat, ut ad Apoſtaſiam Chriſtianos ita ducat. Judæis, Turcis, gentilibus Apoſtaſia tribui nequit. Hinc ad Chriſtianos tot prædictiones & dehortationes in Scripturis directæ, quod illis ab Antichriſto periculum immineret. Clariſsimè verò id ab Apoſtolo hîc indicatur, quando dicit, ipſum ſedere εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ: *quædam Exemplaria* apud *Cornelium à Lapide* habent λαὸν, at populus DEI in N. T. non Judæi *Rom.* IX. ſed Chriſtiani. Ut paraphraſin hoc admittere poſſumus, retinemus tamen meritò communem lectionem. Sic & *verſionem Auguſtin. 20. de C. D. c. 19. ac Primaſii; Sedet in templum DEI, Eccleſiam DEI ſe eſſe venditando,* non adhibemus. Etſi enim alias καθίζω cum ἐν *Heb.* 1. 3. ἐκ *Mar.* XVI. 9. & ἐπὶ tàm cum Genitivo quàm cum Accuſativo eodem ſenſu *M.* XIX. 28. hîc verò cum εἰς & alibi nusquam conſtruatur, ut ita videatur peculiari ſenſu accipiendum eſſe: veruntamen *particula* ὥστε *cauſalis* præcedentis ſu-

 perbiæ

perbiæ hanc vel exaggerationem, vel declarationem eſſe indicat. Sed Eccleſiam ſe venditando falſitatis quidem; non tamen tantæ elationis, ac præceſſerat, foret. *Modus* etiam *ſedendi* additus *ὡς θεὸν* iſtam explicationem non admittit, quomodo enim ſeſe Eccleſiam mentiendo, quaſi DEUS eſſet, id facere poſſet. Sicut ergo & alibi *εἰς* pro *ἐν*, *M.*II.23. *J.*I.18. ita & hîc poſitum eſſe cenſendum eſt; quod nempe Antichriſtus in templo ſedeat. Ναὸς à *ναίω habito* dicitur, eſtq́; Deorum, ut *σηκὸς* heroum, juxta *Ammianum*, Ναὸς θεοῦ ὑποστατικὸς *propriè & ſingulariter*, propter inhabitationem *σωματικῶς* factam, Chriſti corpus eſt, *J.*II.21. in quod ſæviendi olim Satanæ conceſſa poteſtas in Exinanitione; non item Antichriſto poſt Exaltationem. Ναὸς θεοῦ Τύπικος, *templum Hieroſolymitanum fuit*, ut prioris typus propter gratioſam præſentiam, in præfiguratione fundatam. *Primum Salomonis*; quod perperam quidam hîc nominant, cum aliquot ſeculis antequam ſcriberet hæc Paulus eſſe deſiiſſet. *Secundum à Zorobabele* extructum & ab Herode ſplendidius reædificatum, quod *Grotius* hîc intelligit, in quod *Cajus* Statuam ſuam inferre cogitarat: Sed etſi *ναὸς* templum hoc ante Chriſti mortem diceretur, *M.*XXIII.16.17.21.36. *L.*I.9.21. ultimo tamen ita appellatur, cum typus morte Chriſti finiretur, & *καταπέτασμα* ejus ſcinderetur, ut diligenter tres priores Evangeliſtæ annotarunt, niſi fortè alicubi in Apocalypſi, ſed cum determinatione ad priora iſta tempora facta. Licet enim nondum planè profanatum eſſet, ſed etiam à Chriſtianis liberè ad ſacros conventus adhiberetur: ſtudioſè tamen Spiritus S. obſervavit, ut completa & finita typica inhabitatione, non amplius *ναὸν*; *ἱερὸν* verò ſæpius, ob alterum ex libertate Chriſtiana uſum, appellet *L.*XXIV.53. *Act.*II.III.V.XXI. Nec tamen Chriſtiani ita magnifaciebant templum, ut Magiſtri ſui prædictiones impletas nollent, & contra ejusdem profanationem (ne quidem in actum deductam) quam potius expectabunt, tot modis & argumentis muniendi eſſent. Ex *J.*IV.21. non Hieroſolymis nec in *ναοῖς χειροποιήτοις* *Act.*VII.48. XVII.24. patrem quærendum eſſe informabantur. *Tertium templum* (quod foret, ſi vel maximè ex ruderibus, quæ nulla ſunt, excitaretur) non datur, cum ſecundum noviſſimum ſit *Hag.*II.10. illudq́; reſtaurari impoſſibile *M.*XXIV.2.14. *Dan.*IX.27.

quod

quod nõ tantum ter tẽtata reſtaurato, ſub Hadriano, Conſtantino & Juliano, ſed fruſtra: verùm etiã miraculoſa Dei impeditio quam *Marcellinus* ſcriptor gẽtilis refert *l.*23. & *Chryſoſt. Nazianzenus* & plures Patres contra Judæos urgẽt, evincit. Sed & ſi vel maximè reædificaretur à Judæis vel Antichriſto, ναὸς θεοῦ nulla ratione dici poſſet. *Templa ipſa Chriſtianorum*, ſeu Oratoria potius liberè electa ita dici propriè nequeunt, ob ceſſantem inhabitandi rationem typicam, Chriſto veniente typis impletis & ſublatis *Col.II.* Nec in Scriptura aut priorum ſeculorum Patribus hoc nomen eo ſenſu invenitur, quod prolixè probat *Bellarm.* 3. *de P.R.*13. Non ergo templum aliquod materiale h. l. intelligendum venit. Ναὸς tandem θεοῦ μυστικὸς, eſt *templum ſpirituale*, effectus primi & primarii templi: Atque iſtud templum pleniſsimè perfectum in altera vita erit, per glorioſam Dei præſentiam, qui ipſe templum eſſe dicitur, *Ap.* XXI.22. Ejus extructio verò fit in hoc ſeculo, per gratioſam præſentiam, quæ convenit tum ſingulis veris membris, qui & hinc Dei templum ſigillatim dicuntur, 1.*Cor.* VI.19. tum unitis in Eccleſia *Eph.* II.21. unde & eadem domus Dei dicitur 1.*Tim.* III.16. quæ appellationes licet ratione Eccleſiæ inviſibilis, quæ ex vivis lapidibus, 1.*Petr.*.II.9. conſtat, potiſsimum ei conveniant, quia tamen per externa media verbi & Sacramentorum, quibus gratiosè DEUS adeſt, colligitur; eo reſpectu etiam totus aliquis inviſibilis cœtus particularis, cui mali mixti, dicitur Eccleſia, Deiq; templum, ſicut Corinthij 1.*Cor.* III.17. 2.*Cor.* VI.17. ob profeſsionem & potiorem partem, etſi inter eos eſſent vitia ſchiſmata, hæreſes. *l.* V.1. VI.7. IX.18. XV.12. ipſaq; adeò Antichriſtianiſmi ſemina, *l.*12. *Antichriſtus* ergo *in Eccleſia eſſe* dicitur 1. *non tantum in ſenſu illo compoſito & non diviſo, quod in illo loco ſedeat; ubi olim fuit Eccleſia*; quod unicum *Chamier* proponit *l.*16 *c.*4 8. & *Mareſius* mirè ſeſe torquens *l.*1.*c.*6. *ne portentoſum*, ut ipſe loquitur, *de Apoſtaſia ſanctorum* (cum diſertis verbis, diſperdi poſſe templum Dei, aſſerat Paulus, *c.III.*17.) dogma approbet; permutatum pixidis ungventum retenta inſcriptione, declarat, ſed & rudera quædam manſiſſe aſſerit. 2. *nec tantum Eccleſiam premendo* & ferme opprimendo, quod *Mareſius* addit, ut & 3. *in Eccleſiam ſeſe venditando.* Quæ omnia Turcæ etiam conveniunt, hinc *Zanchius* ut *Mareſius c.*7, *n.*9. ipſe negare nequit, hoc

 dictum

dictum magis in Turcam quam Papam quadrare, perſvaſum habet. Sed cum ita differentia inter Antichriſtum Orientalem & Occidentalem tollatur, quæ in hoc ipſo præcipuè conſiſtit, quod unus ſit in, alter extra Eccleſiam, in reliquis enim valdè conveniunt, in hoc ipſo puncto prolixiores eſſe debuimus. Sedet ergo & eſt Antichriſtus magnus in Eccleſia. 4 *arctiſſimè ſeſe cum illa complicando.* Hæretici occulti poſſunt eſſe etiam in Eccleſia viſibili, per purum publicum miniſterium florente. Sic ſi unus paſtorum in corde hæreſin fovens ore rectè doceat, excommunicatione ſeparari non poteſt, ipſoq; officio Eccleſiæ junctus ei inſervit & pro membro habetur, ut & quando per negligentiam unius molitiones à reliquis non attenduntur. In Eccleſia verò preſſa, hæreſi publicum miniſterium & presbyterium occupante, niſi ipſa ſpontè ſeceſsionem planè, ut Arianiſmus, fecerit, vera inviſibilis Eccleſiæ membra, excommunicationem adhibere non poſſunt, ſed dominium & jugum hæreticorum pati coguntur. Priori modo Antichriſtus in præparatoriis operans, in templo Dei eſſe; donec ſucceſſu temporis plenè erumpens, poſteriori modo ſedere & dominari cœpit: omnibus Chriſtianæ doctrinæ capitibus Antichriſtianiſmum immiſcendo, totum miniſterium in pluribus Eccleſiis particularibus & latiſsimo Eccleſiæ Chriſtianæ per totum orbem diſperſæ tractu corrumpendo: per ſolum illud retento Baptiſmo, & aliquibus divini verbi particulis, in toto illo tractu, imò erectis quandoque ex paganiſmo novis Eccleſiis, vera inviſibilis Eccleſiæ membra & Dei templa generando; totam ſuam curiam, membra & milites, ex ſolis Eccleſiæ inviſibilis veris membris, baptizatis nempe Chriſtianis, ſed ſeductis conficiendo: inviſibilem interim Eccleſiam, quæ ex infantibus, ſimplicibus Chriſtianis & paucis martyribus conſtat, in ſuis oris captivam tenendo & ne publicam confeſsionem edat præcavendo. Quibus modis plerisque Antichriſtus à Turca diſtinguitur; diſtinguitur etiam Antichriſtus ab Eccleſia in qua ſedet Tyrannicè; *Unde ſequitur* (α) *quod* Eccleſia particularis ab hac Tyrannide liberata commercium cum Antichriſto habere nullum debeat: alias & ipſa rurſus Antichriſtiana fieret. (β) *quod* argutia *Bellarmini* à particulari procedens vana. Si Antichriſtus eſt in vera Eccleſia: (ſc.

preſſa

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

preſſa particulari) E. Lutherana non eſt vera Eccleſia (*ſc. liberata*) (*γ*) *quod* privata *Melanthonis* ſententia de ſuperioritate Papæ permittendo jure humano, ſi Evangelium admitteret, (quamvis conditionem impoſsibilem annexam habeat, & refutatam in illis ipſis *Articulis Schmalc. p. 2. a. 4. §. Pono autem Papam fateri.*) non ſit pars Confeſsionis Eccleſiarum, per illam ab Antichriſto ſe ſeparantium; licet in F. C. verba *Philippi* referantur. *Philippus* enim ſeipſum correxit, ſtatim poſt purè ſubſcribens, ſe approbare articulum de primatu Papæ, in quo aſſeritur, Etiamſi Romanus Epiſcopus divino (nedum humano) jure ſuperioritatem haberet, (*§. TERTIO loco*) tamen quia planè notæ Antichriſti conveniunt in regnum Papæ. (*§. Conſtat.*) Ideò omnes Chriſtianos Papam cum ſuis membris, tanquam regnum Antichriſti deſerere & exſecrari debere, *§. Hæc cum ita ſint.*

IV. *Antichriſtus in certæ hæreſeos propagatione quærendus.* Antichriſtum hæreticum eſſe ex dictis liquet: *ἀνομία* quidem ad mores ſpectat potius; at *μυςήριον ἀνομίας mystica iniquitas*, religionis titulo incruſtata iniquitas eſt: Hinc *v.* 10. ei tribuitur *ἀπάτη τῆς ἀδικίας* veritati oppoſita, & *v.* 11. *ἐνέργεια πλάνης* & *ψεῦδος*. Omnes porrò hæreſes Antichriſto pleno viam præparaſſe; & ex omnibus hæreſibus Antichriſtum aliquid ſibi appropriaſſe ipſi aſſerimus. At illud nondum exhaurit vim phraſeos Paulinæ: *νῦν nunc obſtaculum impediens adeſt*, ne erumpat tempore Pauli *v.* 6. Ratio adjungitur, cur obſtaculum illud notandum, *Nam γὰρ* myſterium *ἤδη nunc* (ipſius Apoſtoli tempore) *ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας* E. Antichriſtianiſmus erat, operabatur, impediebatur; quod de præcurſoribus aliis hæreticis accipi nequit: ſicut nec rectè dici poteſt, quod aliquis in præcurſoribus veniat, v. c. Chriſtus in Johanne, Antichriſtus in Simone; quamvis rectè dicatur *ἀνομία* & hæreſis operari & impediri, quoadusque præcipuus hæreſiarcha & *ἄνομος* erumpat. Hæreſis ipſa ſemper continuata, illa eſt; *quod homini in Eccleſia Chriſti* (*εἰς ναὸν*) *ſub Romana potentia* (*ὁ κατέχων* & 3. *Joh.* 9 ſi Diotrephes Romanus eſſe concedatur) *ob authoritatem Eccleſiaſticam* (*καθίσαι* ſub titulo Petri ementito 1. *Cor. I.* 12.) *divinum dominium ſit concedendum.* (*ὡς θεὸν*) Ex hoc principio totus Antichriſtianiſmus enatus: atque ſi regina Angliæ hoc Pontifici conceſsiſſet, in reli-

quis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

quis credendi libertatem habere potuiſſet. Certè *Bellar in Præf. de S.P.* Primatum Pontificis ſummam rei Chriſtianæ appellat

V. *Antichriſtus & in capite & in corpore ſive regno conſideratur.* Illa conſideratio potior, hæc plenior eſt; una propter alteram non eſt neganda, nec una alteri opponenda, nec quando vel iſta vel hæc à diverſis authoribus proponitur, pro contradictione id habendum eſt. Sic myſterij iniquitatis operatio, Pauli tempore ipſi Antichriſto aſsignata, nonniſi ratione corporis, capite nondum excluſo, eidem convenit. Ratione corporis & capitis eidem tribuitur ἀποστασία illa quæ ita nudè poſita ſubjecti ratione latiſsimè utique ſe extendens, ventura prædicitur. Ratione capitis dicitur ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ ἄνομος &c. Ratione capitis ultimi eidem cum toto corpore deſtructio, per adventum Chriſti indicatur. Hæc niſi quis diſtinctè conſideraverit, errorem graviorem evitare haut poterit.

Ad V.

Forma interna Antichriſti eſt *ſingularis contrarietas è diametro Chriſto in Eccleſia ſicq; ſub ejus titulo oppoſita, tâm in doctrina de credendis & faciendis, quâm in modo propagandi per Tyrannicum faſtum & fucum.* De ſingulis diſtinctè.

1. *In genere* Antichriſti forma deprehenditur *in contrarietate Chriſti nomine tecta.* Ἀντὶ in compoſitione quandoque *contrarium* quod indubium; quandoque *vicarium* notat, ut ἀνθύπατος *Act.* XIII, 7. XIX, 38. ἀνθυπατεύων *Act.* XIIX, 12. *Proconſul:* quod ſi in ſubjecto utrumque concurrat, utrumque etiam notabit. *Antichriſtus in genere* ex uſu *Johannæo* hæreticus eſt, at is talis adverſarius Chriſti, qui tamen Chriſtianus adhuc eſſe & videri vult. Antichriſtus ergò magnus quoque utut maximus Chriſti adverſarius ſit, minimè tamen id videri volet, ſed inter Chriſtianos potius præcipuus atque primus. *Mareſio in Diſſert.* non videtur, prætereunda eadem obſervatio in voce ἀντικείμενος, quod ſe ἀντὶ χριστοῦ κεῖσθαι dicat, vice Chriſti in Eccleſia ſedere, ſed quia ἀντικείμενος in Scripturæ uſu contrarietatis ſignificationem ſemper obtinet, nec alicubi vicarium ſive revera talē, ſive nominetenus deſignat; in ſingulari verò poſitum 1.*Tim.V*, 14. ἐχθρὸν *M.XIII, 39. diabolum:* utiq; h.l. ejus filium primogenitum ut hoſtem deſignabit. *Alterum* verò

quod

quod ad formam pertinet, *vicariatus* nempe quem ſibi arrogat, in eo oſtenditur, quod *ſedem in templo DEI tanquam DEUS occupat:* Sed hæc in particulari formæ deſcriptione erunt clariora.

2. *In ſpecie Oppoſitio adverſarii vicarii quoad doctrinam de credendis* inſinuatur, in prædictione ἀποστασίας, quam *Ambroſius, Hieronymus, Tertullianus de defectione ab Imperio Romano* accipiunt; ſed illa in remotione obſtaculi à Paulo inſinuatur, deſcripta plenius *Ap. XIII, 12.* juxta Paulinum verò ſtilum *ſeceſſionem à DEO* notat *Heb. III.12.* confer *Act. XXI.21.* & in hac quidem materia juxta ipſius Pauli explicationem *à fide Chriſtiana* 1. *Tim IV.1.* quod approbant *Chryſoſtomus, Occumenius, Theophylactus, Theodoretus, Auguſt. 20. de C. D. 19.* De *Apoſtaſia à Pontifice Rom.* accipere hoc ipſum planè frivolum, quamvis ne iſta quidem nota P R. deſit, cum Bellarminus atque alii eam multis deplorent verbis. *Apoſtaſia* porrò *à fide* etſi vel cumprimis *capiti* conveniat, non tamen Metonymiκῶς vel Antonomaſtiκῶς, hic nomen Antichriſti eſt: ſed ita *nudè & abſolutè* poſita vox, majorem in ſe continet Emphaſin. Unde non deſunt qui *abſolutè univerſaliter* exponant, quod tempore regnantis Antichriſti Occidentalis, ne quidem reliquæ in Græcia & Oriente Eccleſiæ particulares, miniſterium publicum per omnia purùm habituræ ſint. Quia tamen Apoſtolus 1. *Tim. IV.1.* certis notis hanc Apoſtaſiam determinat, ideoque ad hæreſin quam Antichriſtus propagaturus, illam referimus; ut ita *comparante per excellentiam* hoc *Antichriſtianiſmo* conveniat; cui Apoſtaſia Catholica aſsignatur *tum ratione ſubjecti, cum adjuncta diuturnitate temporis*, omnes enim Eccleſias in Imperio Rom. ad quod Antichriſtus cumprimis referendus, ut infra videbimus, latiſsimè per aliquot ſecula inde à remoto Româ Imperatore occupaturus erat: *tum ratione objecti*, quatenus Apoſtata Impoſtor & caput adverſarium vicarium, ſeſe Chriſto in perſona & in officio ſacerdotali prophetico & regio publica profeſsione opponit; & in regno ſuo propugnabit non unum vel alterum errorem ſed *ſyſtema διόδια πάντων veritati v. 10. 11. oppoſitum*, ipſi ſyſtemati doctrinæ in templo Dei ſonantis undiquaque permixtum, ejusq; externa ſpecie veſtitum, quoad *fidei ſalvificæ principium*, Dei verbum; *objectum adæquatum*, unicum Chriſti meritum fide appropriandum; *media* verbi & Sacramentorum confirmationis cum-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

primis. Cujus ἀποστασίας ut *notæ evidentiores*, duo capita recenſentur 1. *Tim. IV. 1. probibitio ciborum & matrimonii.*

3. *Oppoſitio adverſarii vicarii quoad doctrinam de faciendis*, porrò notanda. Atq; ſicut Chriſtus quamvis *Dominus legis M. XII. 8.* exiſtens, legem adimplere venit, *M. V. 17.* & à corruptelis Phariſaicis hoc alterum caput doctrinæ cœleſtis vindicavit *ibid.* Ita è contrario Antichriſtus eſt ὁ ἄνθρωπος & legi ita omninò ſubjectus; imò ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ἁμαρτία autem eſt ἀνομία 1. *Joh. III. 4.* & *Antichriſtus* ὁ ἄνομος *v. 8.* ἐξοχηκῶς nempe & ipsâ profeſsione, quod legibus ſit ſolutus, contra legem diſpenſare poſsit & licet graviſsima crimina perpetret, in ipſo tamen non eſſe peccata, nec de illis à quoquam judicandum, ſed pro ſanctiſsimo ipſum habendum. *Ejus doctrina eſt* μυστήριον τῆς ἀνομίας etiam hac ratione, non tantum quod peccata per Indulgentias foveat; ſed quod ipſa ejus doctrina ad peccata ducat contra omnia Dei præcepta. Ubi cumprimis Sp. Sanctus ceu ſingularem notam alibi *ſpiritualem ſcortationem* exaggerat *Ap. XVII. 1.* quam tum ratione objecti alia præter Deum religiosè colenda proponendo: tum ratione modi cultum electitium præſcripto cultui præferendo committit: & hoc vino fornicationis ſuæ inebriat ſui ſequaces *per efficaciam erroris ut credant mendacio, v. 11.*

4. *Oppoſitio adverſarii vicarii quoad modum propagandi doctrinam in Tyrannico faſtu & fuco conſiſtit.* Mediis Chriſto planè contrariis, qui mitis & humilis corde & ipſa veritas, doctrinam ſuam eodem modo propagavit. At *Antichriſti media* ſunt *Tyrannis crudeliſſima, authoritas arrogantiſsima & impoſtum mendaciſsima.* Et *Tyrannis crudeliſsima* indicatur eo, quod ab Apoſtolo vocatur ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, quam vocem quidam pro pœna *paſsivè* accipiunt, ut filius ſit pœnâ dignus. Sed in hac materia Sp. S. accipit *activè. 2. Pet. II. 1.* αἱρέσεις ἀπωλείας tribuuntur illis, qui ſunt ἐπάγοντες ἑαυτοῖς ταχινὴν ἀπώλειαν, ita ergo *filius* ἀπωλείας eſt filius illius, qui ἀπολλύων *Ap. IX. 11.* & ἀνθρωποκτόνος *J. VIII. 44.* cujus deſideria & filii facere volunt. Atque ſicut *Judas* itidem ita dictus mortem Chriſti procurabat: ita *meretrix Babylonica ſangvine Chriſtianorum ebria* producitur *Ap. XVII. 6.* Et iſta tamen ſub ſpecie amicitiæ fiunt, oſculo proditorio & prætextu procurandæ ſalutis ipſorum.

5. Medium

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

5. *Medium propagandi doctrinam Antichriſti alterum eſt authoritas arrogantiſſima*, qua ſub religionis titulo ſupra DEUM & poſt DEUM in terris ſummum, Imperatorem nempe, ſeſe effert. Non quod in templa Chriſtianorum ſe collocet, & dicat ſe eſſe ſummo DEO ſuperiorem: Sed quod verbis quidem ſe DEI ſervum imò ſervum ſervorum profiteatur; reipſa verò ſupra ipſum DEUM ſeſe efferat: ad quam altitudinem *quatuor quaſi gradibus* conſcendit: I. *Efferendo ſe ſuper* πάντα λεγόμενον θεὸν non κατὰ ψευδὸς ita dictum, cum idola pius quisque meritò ut ſtercora contemnat: & quia καθ' ȣσίαν talis à λεγομένοις in Scriptura diſtinguitur, κατὰ χάριν ſic dicti *Angeli*, quibus Antichriſtus imperare præſumit, & *Magnates* ſuper quos omnes dominium ſibi arrogat, hîc intelligendi. II. *Super extollendo ſe ſuper* σέβασμα quod quia in ſingulari hîc ponitur & cum maſculino πάντα conſtruendum, *perſonam Imperatoris Rom.* notat Σέβαστον dictum *Act. XXV. 21.25.* ſic *cohors* σεβάστη *Act. XXVIII.* Nam σεβάσματα Ethnicorum *Act XXVII. 23* jure concedantur; ſumma verò cum arrogantia collum Imperatoris. Qui ipſe quamdiu ſuperior Romæ erat, ὁ κατέχων erat; & durabat τὸ κατέχον Antichriſti plenum dominium impediens. Quamvis non tantum hoc Antichriſti arrogantia verè ὑπεραιρόμενος ſupra modum ſe efferens faciat; ſed eadem ſe effert ſuper omnia quæ ad divinum cultum vel verè pertinent ut Verbum & Sacramenta; vel ab illo ipſo conficta ſunt. III. *In templo DEI tanquam DEUS ſedendo*, i. e. Univerſalem in Eccleſia gubernationem, illamq; divinam & ſupremam, in ipſo DEI verbo præceptis & Sacramentis, diſpenſationem & mutationem ſibi arrogando, imò caput ſponſam fundamentum Eccleſiæ ſeſe indigitando. τὸ *ſedere* enim Scripturæ phraſi dominium indicat; de *templo DEI* in quo ſedet ſupra actum. *Sedet verò* ὡς θεὸς is qui *vice DEUS* DEIq; vicarius & pleni potentiarius cum illimitata poteſtate eſſe vult. IV. *Seipſum quod ſit DEUS oſtendendo.* DEUM verbis profitendo, ſeſe tamen, quod DEUS ſit, oſtendendo; dum DEI nomen, præter humanam divinam naturam, divina idiomata ut omnipotentiam, omniſcientiam, ſanctitatem ſibi arrogat, & divinum cultum recipit, in genuflexione, pedum oſculatione & adoratione ex *Pſ. VIII. LXXII. XCVI.* deducta. Et qui talem ſe facit DEUM, ſummum ſe facit; & cum Lucifero thronum ſupra DEI

thronum collocare nititur: præſertim ſi ſummam ſibi arroget in perdendo licentiam, ut & *faciendi quicquid libet etiam illicita, & ſic plusquam DEus*, ſunt verba *Cardinalis Zabarellæ de ſchiſm. Innoc. VII. & Benedicti p. 20.*

6. *Tertium medium propagandi doctrinam Antichriſti, eſt impoſtura mendaciſſima*, unde de eo dicitur *quod veniat ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας, v. 10.* tribuitur ei *ἐνέργεια πλάνης*, pro fine *τὸ ψεῦδος* habens. *Ἀπάτη Deceptio* fallit ratione finis, dum pro bono offert malum; ratione mediorum, dum ad fallendum vel falſa adhibet, vel vera fallaciter applicat. Quod ipſum etiam Antichriſtus facit, talem enim adverſarium eſſe ſuprà diximus, qui tamen verbis ſe vicarium ſimulet. Et ſi ergo ſub titulo cœleſtis clavigeri, myriadas animarum ad inferos ſecum ducat, nec tamen moneri ſe ſuſtinet: imò perſvadet hominibus benè cum illis agi, ſi ad purgatorium gehennæ limbum deveniant. Atque iſtud ut perſvadeat, titulo verbi divini ceu medii utitur: pro quo tamen alia deinde principia ſubſtituit: aut ſi adhibet falſis explicationibus & applicationibus depravat. Sic *duo cornua agni* quidem habet, ſed *loquitur ut Draco Ap. XIII. 11.* Sic *duos veritatis teſtes* Apocalypticos, duo Teſtamenta, in ſua civitate ſpiritualis Sodomæ *Ap. XI.* interficit, ut & veritatis confeſſores, ſicut ad V. Not. 4. vidimus, quos quidam duos iſtos teſtes eſſe volunt.

Ad VI.

Circumſtantiæ à Sp. S. notatæ rem ipſam reddunt clariorem.

1. *Locus. Antichriſto Romanum aſſignatur Imperium;* ſicut enim Chriſtus ſub Rom. Monarchia naſci voluit, ejusdemque authoritatem aſſeruit: ita Antichriſtus nidum etiam poſuit in Imperio Romano, ejus verò authoritatem conculcando ſibi Romam aſſeruit, *ὑπεραιρόμενος ἐπὶ σέβασμα*: Unde ad plenum vigorem non poterat pervenire quamdiu *ὁ κατέχων* Romam obtinuit. At cum Roma, non amplius Ethnica, per varias gentes debellata Imperatorum eſſe deſiit, Orientis Imperatorum Exarchis tandem planè ex Italia ejectis, & Imperatoribus Occidentis jure ſuo quod in Romam habebant cedentibus, Antichriſtus ſedem illam publicè occupavit. Sicq; ultimum caput Beſtiæ *Ap. XIII. & XVII.*

Statum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

Statum Antichriſti regnantis notat, ſedentis in magna illa ſepticolli civitate, Myſtica Babylone, quæ regnum habet ſuper reges terræ *Ap.XVII.9.& 18.* hoc eſt *in urbe Roma*.

2. *Tempus* triplex à Paulo notatur: *Initii, Medii vigoris, atq; ultimi finis.* *Initium* Antichriſti Apoſtoli temporibus erat, non in aliis & ſimilibus hæreſibus, ſed in ipſis Antichriſtianæ hæreſeos primordiis ἤδη ἐνεργεῖται *nunc operatur* in præſenti: ita ut jam tum Antichriſtus venerit in occulta & myſtica operatione: *non in aliis* præcurſoribus, ſic enim non hæc ſed alia iniquitas operata fuiſſet; *nec in una* individua perſona, quam tamdiu vivere impoſsibile, *ſed in ipſius rei*, nempe Antichriſtianiſmi primatum in Eccleſia ſub religionis titulo aucupâtis, initiis, per ſucceſsionem continuam propagatis & indies magis magisq; auctis, quoadusque ad plenum pervenit robur & vigorem. *Alterum* ergo *temporis punctum medii vigoris*, & plenè revelatæ potentiæ eſt: de quo Apoſtolus quod revelandus ſit ἐν τῷ ἑαυτȣ͂ καιρῷ. Atque iſta Antichriſti regnaturi Epocha à Sp.S. certo charactere inſignitur; nempe *ab obſtaculo ablato*, quod erat Romam obtinens Imperator. *Vid. ad III. Not.1. non per deſtructionem Rom. Imperii totalem*, hæc enim Scripturis contraria, quæ Monarchiam Quartam cum Extremo Judicio conjungit *Dan.VII.* ſed *per ejus imminutionem* ac diviſionem in decem reges *Ap.XIII. XVIII.* & *Romæ ab Imperio ſegregationem*, Imperatorumq; ſubjugationem. Poſtquam verò hoc obſtaculum remotum τότε ἀποκαλυφθήσεται *non alius ſed ille idem de quo hactenus ſermo*, quod connexio per particulam καὶ prædicta *v.6.* revelationis ſuſpenſio: relatio particulæ τότε ad præcedens νῦν ἤδη & identitas rei hominis peccati qui & ἄνομος evincit. *Tertium temporis momentum Antichriſti diminutionem & deſtructionem concernit*: atque hoc connectitur cum ipſo *Chriſti adventu ad judicium.* Παρουσία, præſentiam aut reditum realem & viſibilem notat, *1.Cor.X.10. XVI.17. 2.Cor.VII 6.7. Phil.I.26. II.2.* & *hic v.9.* ac de Chriſto *adventum vel primum 2.Pet.I.6.* vel *ſecundum* in locis aliis omnibus: quæ eadem vox *v.1.* habetur, nec ullibi judicium particulare ſuper Judæos, præſertim cum illis jungatur *noſtra cum Chriſto congregatio*, quæ alia ab Apoſtolo quam alterius vitæ intelligi nequit: multò minus incertum Petri & Simonis Magi bellum, quod Romæ geſtum perhibetur ſignificabit: nedum hoc lo-

co ubi ἐπιφάνεια, quæ itidem adventum Chriſti vel primum 2. *Tim. I.*10. vel ſecundum 1. *Tim. VI.*14. notat jungitur. Hic utraq; vox conjuncta primum notare nequit, cum de re aliqua futura loquatur, ac proin ad ſecundum omninò referenda.

3. *Actiones Antichriſti* conſiderandæ hic proponuntur, *vel generaliter* ſic ſunt *actiones myſticæ*: namq; *Myſterium operatur*, μυστήριον enim vox eſt quæ ſacris deputatur, unde hîc actiones religionis ſacro velamine tectas indicat, ita ut Antichriſtus ſub titulo religionis ejusq; ſub ſpecie ſit omnia peracturus; *Vid ad I.N.*4. & *ad III.N.*1 *Vel ſpecialiter*; ita *quædam pertinent ad præparationem* ipſo Apoſtolorum tempore; non quod Petrus & primi Epiſcopi Romani per ſe illas ediderint: ſed quod malitia humana, non obſervato officio Petri, occaſione à Petri perſona deſumta, ſicut Corinthi, ita & Romæ, primatum hominis in Eccleſiam introducere cœperit; *quædam ad plenam iſtius monſtri oſtenſionem, in exercitio* nempe *univerſalis poteſtatis in ſpiritualibus*, quando ſedens & regnans in templo DEI, quaſi DEUS ipſe eſſet, egit; & *titulo religionis in corporalibus etiam* atque Politicis, dum obſtaculo Imperatoriæ Majeſtatis remoto, ſupra illam ſeſe extulit. *Vel ſpecialiſſimè in ſignis & prodigiis*, *v.* 9. confer *Ap. XIII.* 15 Etſi verò hoc *M. XXIV.* 24. Pſeudoprophetis in genere tribuitur; Antichriſto tamen inter illos præcipuo vel maximè conveniet; illi omninò, qui miracula pro nota ſuæ Eccleſiæ habiturus, & ſuæ doctrinæ nova præter & contra Scripturam capita atque cultum, per illa confirmaturus erat; ita ut *ignem* tùm Metaphoricè in Excommunicatione, tùm propriè de cœlo deſcendere faciat & de illo glorietur. Ipſa interim *miracula Magica* ſunt, (quod verò hoc excluſivè ſtatuendum, ex nullo Scripturæ loco probatur; & *mendacia*, ratione cauſæ Efficientis, Materiæ, Formæ atque Finis.

4. *Paſſiones Antichriſti* ad tria reducimus capita. I. *Impedimentum*: quod *Theodoretus DEI decretum*, alii *Sp. gratiam* vel *idololatriam* putant, nos cum *Chryſoſtomo* & *Scholiaſt. Græco*, *Cyrillo*, *Tertulliano* & plerisque Patribus, *Corn. à Lapid. ex Hieronymo* id hîc aſſerente, *Imperatoriam Majeſtatem Romæ* intelligimus: De *Vitellio* miniſtro & adulatore Caij Imperatoris maximo, ſolus Grotius ſui hac in re planè diſsimilis intelligit. II. *Decrementum* Sp. S. ita deſcribit, ὃν ὁ κύριος ἀναλώσει τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ. ἀναλίσκω non ſemper ſignificat in momento totaliter factam deſtructionem, ut

Luc,

Luc.XIV.54. ſed quandoque etiam ſucceſsivè & *paulatim factam abſumptionem Gal V.15.* idq; ex propria vocis ſignificatione, ut ex Suida patet, ſicut & LXX hoc ſenſu illa voce uſi; atque in noſtra materia ita accipienda eſt, ſi Apocalypſin *c XIV.* conſulamus; & ne idem bis ab Apoſtolo dictum eſſe cenſeatur. Atque ſi vel maximè interficiendi ſignificatio, vel lectio *M.S.Anglici* ἀνελεῖ hîc locum haberet, ſpiritualiter tamen intelligendum. *Medium* enim per quod iſtud futurum *Spiritus oris DEI* quod ipſius verbum *Eſ.IX.4 Ap.XI,5.* hoc enim gladius Spiritus *Eph.VI.17.* penetrantiſsimus *Heb.IV.12.* Atque ita non poteſt intelligi de pœna corporali, quamvis & illa videatur Romæ imminere ex *Ap.XVI. XVII & XIIX.* cum luctu Antichriſti, langvide animam trahentis & tabeſcentis; nam felicia Romæ, illius everſione prædici ſolus Alcaſar ſomniat & deſtructio illa totalis Romæ Ethnicæ veteri non convenit, iterum verò Ethnicam futuram ejus incolæ non concedunt. III. *Totalis interitus & deſtructio* tandem ſubjungitur in voce καταργήσει, quam deſtructionem cum adventu Chriſti ad judicium conjungi, modò vidimus.

Ad VII.

Finis qui bonum quid *Antichriſtianiſmo in ſeſe conſiderato* nullus aſsignari poteſt. *Effectus* verò ejusdem eſt, *latiſsimè ſeſe extendens deceptio, v.10. & 11.* confer *Ap.XVI 14. XVII.2.* ita ut latè patens univerſalitas poſsit pro nota Antichriſtianæ Eccleſiæ haberi, adeò ut de hoc Catholiciſmo ſibi ipſi meretrix ſit gratulatura & coram aliis gloriatura.

Finem interim optimum ex peſsimis Antichriſti facinoribus DEUS elicere novit; qui quia optimus malum non permitteret, niſi idem ſapientiſsimus ad bonum reducere vellet. Finis iſte bonus quem DEUS in permiſsione intendit & obtinet partim *ad juſtitiam* partim *ad miſericordiam* ejus ſpectat. *Ad juſtitiam* ejus pertinet *mundi ingrati punitio*, cum enim contemtus veritatis Evangelicæ in mundo ingraveſceret, DEUS Antichriſti graviſsima vitia ex propriis ſuis cauſis orta, judicialiter in ſupplicium & pœnam ipſius & omnium adhærentium direxit, *v.12.* ἵνα κριθῶσι *ut judicentur*, & juſtum ſupplicium ſuæ incredulitatis antecedentis experiantur, per hanc graviſsimam à ſeipſis productam excœcationem: Atque hoc obtingit τοῖς ἀπολλυμένοις *pereuntibus*; non per abſolutum decretum ad damnationem deſcriptis; ſed in juſtam retributionem *pro eò quod dilectionem*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

ctionem veritatis non ſuſceperunt: quæ ipſis oblata non tantum *præceptivè* & *conditionaliter* (per conditionem impoſsibilem) quod *Mareſius* hîc fingit, cùm *effectivè* ad eos non ſpectet, quod DEUS per verbum operari velit: cum diſertè â Paulo addatur finis oblatæ veritatis *εἰς τὸ σωθῆναι αὐτοὺς*. Nec ullius momenti *Coccej* hîc diſtinctio eſt, *quod longè aliter ſonet ſi de electis dicatur, DEUM ſeriò velle ut convertantur per Evangelium, quam ſi de reprobis dicatur idem*, hoc enim eſt DEUM bilingvem facere. Nec veritas veritas eſt, ſi aliter apud hos aliter apud illos ſonat & explicari debet. Id verò omne ſine inopinata DEI mutatione pereuntibus evenit, cum DEUS ab æterno eventurum ita prævideret. *Miſericordia* tandem ſe exſerit erga pios, quos DEUS per ſuam gratiam in tantis periculis ſeductionis conſervat, illisq; omnes machinationes Antichriſti tantum fidei probatio exiſtunt, ad quos gratiarum actio Apoſtolica *v, 13.* directa eſt. Ita ut *ultimus* tandem *finis* ſuccedat *aſſertio gloriæ Domini noſtri JESU Chriſti. v. 14.*

Ad VIII.

Applicatio peculiarem requirit Tractationem: nos duobus argumentis illam includîmus.

1. *Cuicunque competit definitio eidem competit & definitum*: aut (ſi quis membra adducta pro definitione cauſali non agnoſcat) *cui conveniunt omnes Notæ Antichriſto aſſignatæ, ille eſt Antichriſtus. Papæ Romano convenit definitio, conveniunt omnes notæ. E.*

2. *Si neq; Cajus & Simon Magus, neq; Nero, neq; ullus ex iis qui fuerunt: ſi etiam neque Turca neque ullus, qui jam exiſtit. Si denique neque Armillus Judæorum neque Antichriſtus Babylonicus Pontificiorum, neq; Nero redivivus veterum, aut ullus ex iis qui futuri ſunt,* notas Antichriſti à Paulo traditas, *ſuſtinere poteſt: Tunc vel Antichriſtus talisq; à Paulo deſcriptus Seductor planè nullus erit: vel Pontifex Romanus cui omnia iſta conveniunt pro Antichriſto habendus erit. Sed prius dicere impium. E. poſterius admittendum.* Omnia verò hactenus producta, nulli ex iis qui ſunt, fuerunt, futuri ſunt convenire, ſi applicatio inſtituatur facilè patebit: omnia viciſsim Papæ convenire, ſi dictis à nobis tantum nomen Papæ ex hiſtoriis jungatur, evidens erit.

Concludimus ergo verbis *B. Lutheri: Impleat vos Dominus amore ſui & odiò Papæ.*

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-313 4° 1561